



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Augusti Buchneri Orationes Panegyricæ**

**Buchner, August**

**Cliviæ, [1668]**

XXII. In funere Agnetis Schneideræ, Michaelis Schneideri, Qvæstoris Præf.  
Wittenberg. filiæ virginis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69483](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69483)

det deinceps, ita se semper comparet, ut, quoad fieri potest, utilitatibus vestris inserviat.

## ORATIO XXII.

## IN FVNERE

AGNETIS SCHNEIDERÆ,

MICHAELIS SCHNEIDERI

Quæstoris Præf. Wittemb. filiz  
virginis.

## RECTOR MAGNIFICE, &amp;c.

Planè contra spem & vota nostra accidit, ut Viro Amplissimo MICHAELI SCHNEIDERO, lugubre istud & illætabile officii genus præstaremus. Quotusquisq; enim vestrum est, qui non superioribus seprimanis, finitis exequiis desideratissimæ conjugis, egregio Viro, pro eâ benevolentia & singulari affectu, quo eum pleriq; omnes soletis complecti, apprecatus sit ne quis hujusmodi casus tristior ejus turbaret domum, sed ut læta & prospera omnia deinceps potius experiretur, qui tanta in præsentis clade esset affectus, quâ nullâ propemodum infelicior graviorq; contingere posset? Et tamen evenit, ut post uxorem charissimam, filiamq; quoq; quam secum habebat domi, amitteret, ea ætate, iis suavissimis moribus, ea fide in se atq; amore singulari, ut efficacissimum inde solatium immensi doloris haberet sperandum. Sed nos concipere vota quidem possumus, & constituere, quæ aut nobismet ipsis aut aliis etiam evenire optemus: cæterum obtinere, quæ cupimus, & impetrare, à Dei solius voluntate pendet, qui ut solus novit quid cuiq; nostrum expediat maxime; ita pro bonitate sua ac immenso amore, quo nos

com-

complectitur, unicuique libet dispensat farsa, prout conducit maximè, et si alia omnia sperabamus. Adeò, ut si earum rerum, quæ nobis eveniunt, rationem ad voluntatem nostri animi exigamus, vel iratissimus videri queat; cum studiosissimus nostri sit, nec quicquam aliud magis, quam nostram salutem procuret. Neque enim bonorum malorumque natura ad mentis humanæ ratiocinium examinanda est; sed pro misericordissimi Numinis voluntate potius consideranda. Qui cum nec velle (altem aliquid possit mali; sequitur multa apud ipsum bona haberi, quæ nostris iudiciis pessima videantur. Sed quò sincerius hunc Viri optimi miseramini casum, tanto majore studio, procul omni dubio, ad celebrandas istas exequias convenietis. Pro qua singulari vestra benevolentia ac studio, tum patris absentis, & ejus quidem afflictissimi, tam reliquæ totius familiæ nomine singulares vobis atque prolixas ago gratias. Dabunt vicissim operam, ut grata & profutura studia vobis exhibeant,

## ORATIO XXIII.

## IN FUNERE

BARBARÆ SCHURERIÆ,

CHRISTOPHORI WUSTII.

Bibliopolæ Wittenbergensis,

Conjugis.

**D**UM ad exequias istas & hoc officium funebre, DIRECTOR MAGNIFICE, Reverendi Admodum, Amplissimi, Clarissimi & Prudentissimi Viri, tam frequentes convenistis, non modò de CHRISTOPHORO WUSTIO Viro optimo, ejusque desideratissima Conjuge BARBARA SCHURERIA, cui hæc per-

solu-